

Alte Drucke

Postillae Sive Conciones ... In Epist. & Euang. de Sanctis ... memoria

POSTILLÆ SI-||VE CONCIONES REVE-||REND. D. IOANNIS FERI, || Metropolitanæ
Moguntinæ Con-||cionatoris absolutiss. || In Epist. & Euang. de Sanctis, quorum
à Festo || Pascæ vsque ad Aduentum in ...

Wild, Johann

Antverpiae, 1559

IN DIE S. MARGARETAE EVANGELIVM. Matthaei. 13.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150413

nostris, & inimici nostri subsannauerunt nos: Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus. Hæc illa Dauid querela est, in qua necessitatem, qua ipse atque populus suus illo tempore premebatur, enumerat. Tres versus sunt, quibus quicquid in hac terra pios premere potest comprehenditur. Sed nos eadem iam dudum experimur. Propterea non indigna nobis illa erit querela. Vbiq; enim & in omnibus iratum nobis Dominum offendimus. Si enim Germania iam per mille annos certa atque præsens incubuit exterminium, iam certè incumbit. Proinde cuiq; vestrum hanc Dauid querelam breuitatis studio considerandam relinquo, quo quisque secum quàm periculose habites cogitans, cum Dauid precari moueatur. Domine Deus virtutum conuerte nos, & ostende nobis faciem tuam & salui erimus. Gratia Dei nobiscum, Amen.

IN DIE S. MARGARETAE EVANGELIUM.

Matthæi. 13.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet & emit agrum illud. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit & vendidit vniuersa quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregati, quæ cum impleta esset educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exhibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in cæminum

minum

minum ignis. Ibi erit fletus & stridor dērium.
Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam. Ait
illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlo-
rum, similis est homini patrifamiliās, qui pro-
fert de thesauro suo noua & vetera.

EODEM FESTO EPI

stola. 2. Cor. 10. & 11.

Fratres, Qui gloriatur, in Domino gloriatur.
Non enim qui seipsum commendat, ille pro-
batus est: sed quem Deus commendat.

CAP. XI.

*Vtinam sustineretis modicum quid insipientia
meæ: sed & supportate me. Emulor enim vos
Dei emulatione, despondi vos vni viro, virginē
castam exhibere Christo.*

PRIMVS SERMO,

& vnicus.

*Diligite Dominum omnes sancti eius, quoniam re-
quirens est Dominus veritatem, & abun-
danter retribuet facientibus su-
perbiam. Psal. 30.*

EXternarū experientia atq; vltu videmus, munita vr-
bes etiam paucis tempore excubias habere suas, ne
insperato damnū accipiant, bello verò exorto con-
suetas excubias roborare, omnia diligentius explorare:
sed & quisq; pro se quod potest in commune confert &
consult, alius alium hortatur & incitat: nec ciuis habe-
tur bonus, qui illic domi desidet. Quod si & nobis cor-
di esset, nomini atque vocationi nostrę respondere, pro-
culdubio eandem in spiritus negotio exhiberemus so-
lertiam, paremq; ostenderemus diligentiam. Sanē, quod
Christi ducis nostri est: prudenter, vt vigilemus & para-
ti stemus, qui qua hora filius hominis venturus sit ne-
sciamus, admonet. Tum verò & antesignanus ille no-
ster Petrus Apostolus adhortatur, dicens: Sobrij estote

Luc. 12.

1. Petr. 5.

&c

Ephe. 6.

& vigilare : quia aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Cui fortes in fide resistite. Idem & Paulus facit, dicens : State ergo succincti, lumbos vestros in veritate, & indui lorica iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : & galea salutis assumite, & gaudiū spiritus, quod est verbum Dei. Induite armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, quoniā non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinē : sed aduersus Principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harū, contra spiritualia nequitia, in cœlestibus. Si igitur secundū doctrinā Christi, parati secundum admonitionē Petri, Iobrij : secundum Pauli acclamationem, armati erimus semper : quid nunc faciendum est, quando vndique Satan tanta violentia Ecclesiā impugnat ? Sanē ipsa experientia docet, adesse nunc tempora, quæ olim Ioannes prædixit :

Apoc. 21.

Vx, inquit, habitatoribus terræ & maris : quia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Quisquis ergo ingenuus Christianus esse cupit, amplius hoc nequam seculo vigilet, ne vel vrbs nostra euertatur, vel ciues affligantur, vel bona per Christum parta diripiantur, vel denique nos ad Diaboli tyrannidem, qua Christi sanguine redempti sumus, compellamur. Si igitur vnquam cum aliqua pietate Martyrum celebrauimus, si vnquam ipsorum exempla considerauius, nunc id studiosius maioriq; cum zelo faciamus æquum est. Neque enim quisquā ad multa nobis Martyrum exempla prodesse posse negauerit, maximè verò in ijs rebus, in quibus nostra ætate Ecclesiā vehementer laborat. Quorum exempli causa nonnulla in medium proferam. Principiō inuenias, & quidem non paucos, qui in apertissimis criminibus iaceant, atque perseuerent, contēti quod baptizati sint, & credant. Alij quidem non ita publicis criminibus impij : nimium tamen, quā æquum est, temporaneis dediti, præter modum hunc Mundum diligunt. Alij neutro horum reprehensibiles sunt quidem, tamen pigri ac negligentes in omni bono, in nouum nostrī seculi

euli Euangelium sperant, quod omnia bona opera, non necessaria, nec vilia ad salutem esse, tatumq; fidem saluare docet. Alij quidem bono intendunt, sed pusillanimes sunt & modicæ fidei, vnde etiam sæpe deficiunt. Alij vero ita in suis operibus inanibus superbiunt, vt non modo quicquam sibi præterea necessarium iudicent, verum etiam coram Deo stare audeant, & dicere: Gratias ago tibi, quod non sumus sicut cæteri hominum. Vt ergo hæc mala, hisq; alia similia tollantur: diligenti sanctorum, qui Deo ante nos placuerunt, consideratione opus est: cōsideratis enim diuorum exemplis, facile, qui publica impietate criminosi sunt, intelligent, nō esse vitā suā Christianis dignā, qđ oēs pij ac sancti summo semper studio pctā deuitarint, iustitiāq; apprehēderint. Et licet nōnulli eorū grauissimē hallucinati sint, & David, Petrus, & alij, iterū tamē, respicerunt, & cōmissa, magna & seuera poenitentia diluerūt. Quod si rursus diuorum exempla cōspexerimus, mox etiam seculi huius filij pudeficerent, quod tanto sudore ea quærant, quæ pij semper veluti stercora æstimauerūt. Quod si adhuc in diuorum exempla oculos intenderimus, inuenient pigri ac negligentes Christiani quomodo non ad otium, sed ad laborem & pietatis opera vocati sint, sicut & vineæ & operariorum docet parabola: Inuenient & pusillanimes modicæq; fidei homines, quomodo magnæ fidei magnæq; spei magnum robur consequi valeant. Sed & phariseus superbiens fastu, illic mox intelliget quā nihil sint omnia sua opera, collatione eorū quæ sancti nostri fecerunt & passi sunt, desinetq; facile deinceps efferri animo. Vides ergo quid crebra diuorū veluti perfectorum exemplorum consideratio possit: nimirum vt nulla publica crimina maneant, nullus temporaneorum amor subsideat: non pigritia aut negligentia, non pusillanimitas, non superbia aut iactantia foueatur, sed contrā innocentiae studium, cœlestium amor, terrenorum contemptus, bonorum operū studium, fidei perfectio, humiliatis deniq; profunditas. Et qua via, si hæc in Ecclesia salua starēt, aduersum nos insurgere posset Diabolus? Sed quorsum, inquis, isthæc tā lōge repetito exordio ingeminas? Nepe vt festum hoc maiori attētionē ac studio

Apoca. 3.

Lucæ. 18.

Philip. 3.

Math. 20

studio

Pfal. 30.

Audire consideremus, atq; ingens nobis exemplum D. virginis huius martyrium statuamus. Paucis igitur historiam eius libet perstringere, deinde quid hinc eruditionis capere possim? enucleare. Et sane apparebit quod non sine causa Thema ex Psalmista proposuerim. Diligite, inquit ille, Dominum, omnes sancti eius, quoniam Dominus requirit veritatem, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Iam verò, sic habet historia, Fuit Margareta cui, hanc festam diem celebramus, Theodosij Antiocheni Idoli sacerdotis præcipui filia, tempore Marcelli Romane Ecclesie pontificis, ac duorum sæuissimorum tyrannorum, Diocletiani quidem in oriente, & Maximiniani in occidente, qui sæuissimam sanè persecutionem exercebant in Christianos, à quo tempore plus mille ducenti anni fluxerunt. Cum vero puella hæc adoleuisset, spiritu sancto illustratur, cœpitq; præter parentum voluntatem, Christiana esse. Mortua matre, à nutrice suscipitur, & huic ipsi Christiana fides non magnopere displicuit, concessit aliquando rus cum coauiis suis, & inter agnos ludens, ab Olibrio Asia præside Antiochiam proficiscente fortè conspecta, per nunciū colloquendi gratia adducitur. Tum illa trepida licet, Dei tamen inuocato nomine, accedit. Laudare eam ille, & genus nomenq; inquirere incipit. Verum cuncta ex ordine recensens, ita sermonem instituit, vt nomine licet vocaretur patrio, Christianam tamen esse se inueneret, ac baptizatam soli Deo Domino suo Iesu Christo seruire ostenderet. Olibrius turbatus virginis constantia, vinctam abduci atq; inedia torqueri iubet, si fortè mutata sententia, ab inuisa Christianorum Religione deficeret. Verum ita in proposito constans perseuerat, vt in publicum producta, si fortè rubore confusa à Iesu seruatoris confessione recidere velit, egregie ac grauissimè nomen, fidemq; Iesu profitetur. Olibrius ad hæc pœnas, tormenta; ac mortis infamiam minatur. Cui illa confidenter & liberè respondit. Agè viriliter, vre, assa, tantum in Christo maneam. Ergo mox suspensa crinibus, sustibusq; misere caesa, omnium oculis miseradum prodibat spectaculum. Vt vt autem sæuissimos cruciatus sufferret, testimonium tamen constantis animi prodidit

didit historia, quæ poenas eam pro nihili duxisse commemorat. Hac constantia tot immania sæuissimi tyranni tormenta suscipiens, tandem à Malcho gladio truncata in Christo obdormijt. Reliqua eius historię, vt quæ draconis mentionē faciunt, & alia, in doctissimi præstantissque viri Domini Georgij Vicelij Choro sanctorum licet inquirere. Ea historię series est, vt quisquis vel per se eam legerit, vel ab alijs cognouerit mox cum sponso in Canticis sit dicturus: Quàm pulchri sunt gressus tui, filia principis in calciamentis tuis? Incessit enim hæc virgo nostra ornate calceata. Rectè piorum sequuta vestigia, & tempestiuè sequuta nunquam ab ijs deflexit. Verè eum Paulum dixisse, hinc intelligimus: Infirma mundi elegit Deus, inquit ille, vt confundat fortia. Sed & hoc videmus, quomodo Deus adsit suis, & quomodo confirmet, atq; in requiem suam introducat. Qua propter Dauid non incongruè monet, dicens: Diligite Dominum omnes sancti eius. Neq; verò ad vita hæc defunctos sanctos, vt qui in gratia cōfirmati sunt, nullisq; admonitionibus egent, hæc Psalmistæ verba torquenda sunt: sed nobis dicta sunt, qui sanctificati per baptisma, à sancto sanctorum Christo nomen sortiti sumus, & ad sancta opera vocati, Petro monitore cum ait annunciandam esse per nos virtutē eius, qui nos vocarit. Et hos sanctos, nimirū nos, Psalmista hic vult intelligi. Iā verò nihil molestū aut grauē manet nos: tātū vt diligam⁹ Dñm, hortatur. Quantū & quid hoc sit Margarete exēplo licet cognoscere. Adhæsit illa tota anima totoq; corde Deo: maiore illū præstantiorēq; oībus rebus æstimauit: Deūq; aperte cōfiteri nō puduit: oīa illius causa contēpsit: volūtati illius obediuit: tormētis propter illū non cessit. Hoc est Deū verè diligere. Nō illud Deum diligere est, ore sine mēte Deo velle appropinquare, aut ynā cū ipso facultates diuitiasq; appetere, diligere. Nō em̄ Deo potestis seruire & Mamonæ. Neq; verò ille Deū diligit, qui ipsum cōfiteri timet, aut illius iussa tēnit, aut crucem refugit. Qui em̄ vult venire post me, inquit Christus, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me. Rectè igitur nos Dauid hortatur, vt sancti diligamus Dñm. Ipse em̄ vnus & rectè diligēdus est. Principio enim ipse verita-

Cant. 1.

1. Cor. 1.

1. Pet. 2.

Isai. 29.

Matt. 6.

- tem requirit, hoc est, eos qui immaculatæ, puræ iustæq;
viæ sunt, aspicit, hos & ipse diligit. Hinc Psamista ait:
Psal. 3. Quàm magna Deus multitudo dulcedinis tuæ, quā abs-
condisti timentibus te. Et sequitur: Abscondes eos in abs-
condito faciei tuæ, à conturbatione hoim. Amplius ad-
huc Deus requirit veritatem, hoc est, in promissionibus
non fallit. Id quod in hac virgine cōsideramus, Christus
Luca. 22. credentibus dixit: Dabo vobis os, & sapientiam, cui nō
poterunt resistere oēs aduersarij vestri. Dabit vobis
Ioan. 12. in illa hora quid loquamini. Et: Nō relinqū vos orpha-
nos. Aliū paracletū dabo vobis. Et: Quicquid petieritis
patrem in noīe meo, dabit vobis. Et: Qui mihi ministra-
uerit vbi ego sum, illic & ipse erit, & honorificabit eum
Ioan. 12. pater meus. Oīa hæc in hac virgine nostra impleta sunt.
Veritatē igitur Deus requirit. Tertiō & hoc modo ve-
ritatem requirit Deus, vt suo tēpore rursus manifeste-
tur. Licet em̄ nonnunquā primasiniustitia teneat, tandē
tamen aliquādo veritas Iustitiāq; victrix erit, atq; triū-
phabit. Idem quoq; in hac virgine videmus. Agite ergo:
diligite Dñm, quoniā ipse requirit veritatē. Sed & retri-
buet abundāter faciētibus superbiā. Id quod exēpla in-
numera testātur. In Pharaone, Saul, Sennacherib, Nabu-
chodonosor, Antiocho, Iudæis, & alijs: Tum hic in Dio-
cletiano, Olibrio. Nos igitur hæc duo ad amandū Deū
virginis exēplo, meritō mouēt. Nō. n. sine ratione Da-
uid concludens ait: Viriliter agite & cōfortetur cor ve-
strum, oēs, qui speratis in Dño. Idē ferē Paulus monet:
Galat. 6. Bonum, inquit, faciētes, nō deficiamus, tēpore enim suo
metemus nō deficiētes. Et rursus: Nō deficimus. Licet,
2. Cor. 6. enim is, qui foris est homo noster corrumpitur, is tñ qui
interior est, renouatur de die in diē. Et: Scimus, quoniā
1. Cor. 5. si terrestres hæc domus nostra dissoluatur huius habita-
tionis, quod ædificationē ex Deo habeamus, domū non
manufactam, sed æternā in cœlis. Ecce, hæc ex isthac ad-
disci possent historia. Quod si nos his rebus meditādīs
occupauerimus, sanē non sine fructu hunc diē transige-
mus, nec indignam D E O per Margaretam Martyrem
suam laudem impendemus, & ipse quidem non absimi-
lem gratiam exhiberet nobis. Id vt fiat, gratia nos Iesu
Christi adiuuet, Amen.